4.G.E.5. 211 33

VIRGO
MEDIA INTER LEONEM, ET LIBRAM.
ORATIO
Habita Nonis Aug. in Baſilica Vaticana
A GREGORIO MAGGIO ROMANO
SEMINARII VATICANI ALVMNO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVCTORE
PHILIPPO VALENTINO
EIVSDEM SEMINARII RECTORE,
ET LVDI MAGISTRO.



ROMÆ, Ex Typographia Ludouici Grignani, MDCXLVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

L EONEM ineunte Sole, Cardinalis Eminentiſsime, Religioſiſsimique Patres, peſtilentis ſyderis inclementia conduplicatis ardoribus exitiũ nobis, perniciemq. molitur.

Namq. ſitim, morboſq. ferens mortalibus ægris Virg. Aen. 10.
Naſcitur, & læuo contriſtat lumine Cælum.

Ego verò non adeò huius ſyderis, quod ſola corpora incendit, flammas pertimeſco, vt multo maius ab æſtu cupiditatum, voluptatumq. illecebris, quæ animos inflammant vehementiùs, periculum non extimeſcendum cenſeam. Verùm animo mederi, aliunde, quam e cælo quæſito remedio, nemo eſt, qui ſe poſſe putet. In cælum peccauimus, e cælo affligimur, quid ni Cæleſtium opem imploremus? Sed quis audeat Solem, feroci coniunctum Leoni, præſertim cum non procùl abeſt à Libra, quæcunque ipſi deliquimus ſeuerißima trutina examinaturum, precibus interpellare? Fremit, rugit, vt Leo, quis non extimeſcat? Appropinquat Libræ, quis

non contremiſcat? Irridebat olim Deum cum
Dan. c. 5. Optimatibus ſuis temulentus ille Rex, ſacrilegi, nefarijq. patris impuriſsimus filius: at vbi conſpexit articulos in ſuperficie parietis prodigioſè ſcribentes; *appenſus es in ſtatera & inuentus es minus habens*, repentino metu exanimatum, ita cohorruiſſe tradunt ſacræ litteræ, vt commutata facie, compagibus renum diſſolutis, genibus ſe inuicem collidentibus, vociferans obſecraret ſuos, vt, ſi quà poſſent, à malo, quod portendebatur, eriperent. Sed non inuenit effugium; nam Sol Iuſtitiæ Chriſtus, quamdiù æterni Patris ſinu, quaſi Leonis ſigno, ſe continuit, nihil vnquam de ſeueritate remittens, quemadmodum bonis pro recte factis præmia rependebat; ſic eorum, qui vitam commaculaſſent, ſeuera animaduerſione puniebat errata. Itaque nemo erat, qui conſcius ſibi culpæ, illius non reformidaret
Exod. 20. aſpectum. Ipſa etiam querula turba, & nunquam ſatis fida Deo ſuo, adeò eius verebatur alloquium, vt crederet ſe morituram, ſi ſibi Dominus loqueretur. O dura illa tempora, cum cognoſcebatur Dominus judicia faciens, Deus vltionum, & terribilis ſuper filios hominum! Sed ò verè felicia, verè fortunata ſecula Chriſtianorum! quibus ſignum magnum appa-
Apoc. 12. ruit in cælo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius. Sole inquam, qui ex Leone diuer-

tens

tens ad Virginem, Leonis ponit ferociã, & Virginis in gremio ità manſueſcit, vt non modò bonis ſe tractandum exhibeat; ſed malos etiam benigniſsimè recipiens, paterno complectatur affectu, incredibili patientia toleret, innumerabilibus beneficijs prouocet, animet, confirmet. Quòd ſi quando deſcendendum ſit ad verbera, vt hac ſaltem ratione expugnet fera corda, in ſua ipſorum pernicie obfirmata, quis nõ videat, adeò lentè pœnas infligere, vt vitæ correctionem expetat, non interitum? Vt ſanitati reſtituat, non vt perdat? At ſi neque huic medicinæ ſit locus, ſi ſit immedicabile vulnus, ſi nolint vllo modo reſipere. An continuò arreptum fulmen torquebit in impios; & ſuperbos gygantes, obrutos mole ſua delebit e terra? An viuos, terra dehiſcente, detrudet in Tartara, vt Dathan *Num. 16.*
& Abiron, & in Deum ferociſsimè obloquentium vindicabit audaciam? Num tradet An- *32.*
gelo trucidandos, vt Aſsyrios? Num canibus *4. Reg. 19.*
diſcerpendos, ſicut Iezabel? Terribilibus arma- *36. 4. Reg. 19*
tis verberandos, vt Heliodorum? Num flam- *33. 2. Mac. 5.*
mis, num fluctibus corruptam Terram vaſtabit, *7. 15.*
ne dum Ciuitates, & Regna? Nihil horum Aud. ſed tolerabit adhuc, adhuc ſinet viuere, &, quod ſatis admirari non poſſum, ſemper eſt paratus ignoſcere, ſi reſipuerint. O rem non modò auditu miram, ſed penè etiã incredibilem! Et vnde

Leoni tam ſubita manſuetudo, tam inuſitata
clementia? Vnde, niſi ex Virgine, quæ eſt me-
dia inter Leonem, & Libram? Ipſa ſedat iratũ,
ipſa manum admouet libræ, ne delicta propen-
deant, noſtræ illi offenſæ condonantur. O ſignũ
nobis beneficum, ac ſalutare! ſignum verè ma-
gnum in cælo, immò cælo ipſo maius, quod cæli
Conditorem capere potuiſti! ſignum felicitatis
portendens, ex quò primum Terris illuxiſti, ſu-
blato vetere maledicto, ita fœcundaſti, vt iure
l. 24. cecinerit regius Vates: benedixiſti, Domine, ter-
ram tuam, operuiſti omnia peccata eorũ. *Signũ*
omni admiratione digniſsimum, ipſius etiam So-
lis, omnia ſua luce complentis, Aula regia, quem,
cum ſemel hoſpitio ſuſcepiſſes, ita magnificè, ac
ſplẽdidè tractaſti, vt opibus tuis delectatus, oble-
ctatuſque delicijs, non vnius menſis curriculo,
quamadmodum Sol iſte ſolitus obſcurari in ſuis
ſignis; ſed nouem in te menſibus permanſerit,
diutius vtique commoraturus, ni rerum ſeries
aliter exegiſſet; propterea quòd ſignum es ma-
gnum in cælo, & latiſsimè patens campus, in quo
ſemper noua meritorum ſigna reperiat, & vir-
Ezech. c. 1. tutum miracula ſuſpiciat. Explicet Ezechiel cæ-
5. 27. 28. leſtis huius ſigni magnitudinem. Ille Sapphirei
Troni ſimilem ſuper firmamentum quondam
ſe vidiſſe teſtatur. Sedebat in ea homo, qui ſpe-
ciem partim electri, partim ignis habebat, cir-
cun-

cundatus Iride diuerſicolore. O factum bene! Tronus ex Sapphiris eſt Virgo noſtra; ipſo eius ſponſo aſtipulante, qui ventrem eius eburneum, & Sapphiris diſtinctum collaudauit. Locum obtinet ſupra firmamentum, quoniam omnes beatarum mentium ordines prætergreſſa, omnium proximè ad Auguſtiſsimam Triadẽ accedit. Chriſtus homo Deus, Rex Regum, & Dominus Dominantium ſedet in ea, igne charitatis incenſus, & ſolus Matrem meritorum præſtantia antecedit. Electro carnis puriſsimæ, quam in illius vtero aſſumpſit, attrahit corda noſtra, & in ſui amorem compellit. At nulla re magis allicimur, quàm cum videmus ipſum hoc in Trono ſedentem, Iride miſericordiæ circumfuſum. O Tronum maieſtatis excelſum, nunquam ſatis hominum linguis, vel etiam Angelorum pro dignitate laudatum! O Virginem myſterijs fœcundiſsimam! Quàm benè inter Leonem, & Libram collocatam! Quid mirum, ſi miſericordia Domini plena eſt Terra? Antequam iſta Virgo exoriretur, preſsi iuſtitiæ pondere mortales, ſublatis ad cælum oculis, clamabant; Domine in cælo miſericordia tua, nimirum expectantes, dum ipſa delaberetur in Terras, & Iuſtitia remigraret in cælum. Vidimus, & lætati ſumus, ac tanto voto potiti, ingrati ſimus, ni quotidianas Virgini gratias agimus.

Cant. 5. 14.

Fre-

Fremat igitur Leo, infeſtet Sirius intolerando æſtu languentia membra, fontes exſiccet, ac flumina, rimas agat arida terra; iam non eſt, quod timeamus: Ipſa inhibebit furorem, ipſa de cælo pietatis rore, & niue puritatis ſuæ languentes ab æſtu reficiet, multipliciq. beneficiorum, & gratiarum imbre ſitientem terram irrigabit. Verùm ne temerè ſperare videamur, illud etiam, atque etiam videndum eſt, Aud. vt, quoad fieri poteſt, boni ſimus, certi quòd miſericordiam conſequemur, ſi fuerimus Iuſtitiam conſectati. Si verò hactenùs ita viximus, vt timendum ſit

Heb. 4. 16. magis, quam ſperandum, anteactam vitam deteſtantes, ad hunc Tronum gratiæ cum fiducia adeamus, vt miſericordiam conſequamur in auxilio opportuno. Dixi.

Colli Exquilino intempeſtiua niue reſperſo, reliqui Vrbis Colles cæleſte donum, & celebritatem inuiderunt.

Contegit Exquilias niuibus ſine nube creatis
Æſtate in media cælitùs alma Parens.
Concurrunt viſum tanti miracula facti
Romulidæ, & læti vellera ſacra legunt.
Sex reliqui Colles, viſo hoc caneſcere, ſortem
(Nempè minùs celebres) condoluere ſuam.

Gregorius Maggius Romanus
Alumnus Sem. Vat.

Solis ardor non læſit Virginis Niues, quia Virgo eas benedixerat.

Sole ſub ardenti, mediaq. in nocte, ſereno
Decidit in terras Nix benedicta, Polo.
Nix benedicta cadit, nec Phœbi ardore liqueſcit:
Sole liquata eſſet, ni benedicta foret.

Marcus Antonius Baleſtra Brachianenſis Alumnus, &c.

Digitized by Google

Peccatores ſeuerum Dei Iudiciũm timentes Interceſſione Virginis à metu liberantur.

CVm fremit ore Leo, trepidant ſibi conſcia Corda:
Arripit is Libram, Iudiciumq. parat.
Tunc Virgo aſſurgens mediam ſe ſiſtit, & ille
Deſinit iraſci, Corda timere ſinunt.

Petrus Toſtus Cæſanus Alumn.

Deipara reſpergens niue locum, in quo vult ſibi ædificari templum, innuit mundos eſſe debere, qui illud ingrediuntur.

HOs Domus auguſtæ niueo cum vellere fines
Præſcribit Virgo, quid notet ipſa, putas?
Hinc procul eſte, inquit, procul hinc abſcedite quotquot
Lucida non geritis corda nitore Niuis.

Iacobus Campanellus Romanus
Alumnus.

Non

Non debet mirum videri,quòd intempeſtiuas niues demiſerit Virgo, potuit enim naturam vincere, quæ Naturæ Auctorem ventre continuit.

MIraris, quòd nocte Niuē, dum Sirius ardet,
Mictam, atq. infeſto membra calore leuē?
Naturam vici, quid mirum? ventre ſupremum
Naturæ Auctorem ſi cohibere datur?

Bartholomæus Fontana Rom.
Alumnus.

Digitized by Google